

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

THEOGNI.

DIS MEGARENSIS SENTENTIAE Elegiacæ, Græcè & Latine,
unà cum eiusdem argumen-
ti reliquijs,

Phocylidis	Rhiani
Pythagoræ	Eratosthenis
Solonis	Panyasidis
Tyrtæi	Lini
Naumachijs	Menecratis
2 Callimachi	Posidippi
1 Mimnermi	Metrodori
Eueni	Simonidis:

Senariorum libello.

*Omnia in usum Scholarum collecta, & ad uerbum
conuersa per Eliam Vmetum, & IACOBUM
HERTELIVM Curien. Variscum: Carmine
uero Latino partim à Hieronymo Osio Tu-
ringo, partim ab alijs expressa.*

ACCESIT in studiorum gratiam,
Homeri Batrachomyomachia, item La-
tino carmine à Hier. Osio
reddita.

BASILEAE,

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Christophory Otto Comes & Dominus in
Schallenberg &c. Praepositus Con-
-stantiensis ab a. 1693, Canonius
Augustanus ab a. 1672, eisdemq;
ecclesia Decanus ab a. 1721. natus
a. 1655, 6. Junii, hora 8. matu-
-tina in Hagen prope Lintz
Austrie Superioris, Patre, Comite
Christophoro Ernesto &c. Matre,
Christina, nata Baronissa Schi-
-ferin &c. Denatus a. 17. . . .

JACOBUS HERTELIVS

Zodoco Iungio Brisacensi, optimæ

Spei adolescenti,

S. D. P.



Vandoquidē, **ZODOCÆ** charissime, nihil animis hominum magis inhæret, quàm id cui à teneris consuescūt: idq; quod tenerum est, ut ait Seneca, proximis applicatur: uniuersæ hominum societatis permagni interest, ut ab ineuntibus statim annis mortales optimis, quæ per totâ uitam usui futura sint, assuescere discant. Quia uerò ætatis imbecillitate iuuentus ad malum quàm ad bonum procliuior, minus considerat, profutura ne an obfutura sint quæ tractat: opus est, ut per adultiores, quibus cura eius qualicumq; modo incūbit, à turpibus ad honesta, à uitijs ad uirtutum amorem deducatur. Id autem nulla commodiore uia, quàm per liberalem institutionē, fieri potest. Tāta enim eius uis est in utrāq; partem, ut nulla tam bona possit esse natura, quin illius quasi excolendæ cura intermissa, uitiosa redda-

a 2 tur:

rur: nulla item tam mala sit, quæ non ad
 frugem liberali ac fideli institutione redi-
 gatur. Proinde cum adulta hominum æ-
 tas ad omnia minus docilis tractabilisq;
 sit, quàm rudes illi iuuentutis anni, qui
 instar ceræ quamlibet impressione ad-
 mittunt facile: tum generosi mores, ut il-
 le ait, imbuendi sunt, cum tener est ani-
 mus: tum optimis assuefcendum, eaq;
 discenda quæ nec grandinẽ, nec uim, nec
 Iouẽ ipsum, ut Plato inquit, extimescât:
 quæ quoq; cum naufrago salua enatare,
 nec à latronibus eripi queant, cū ad que-
 uis cereum adhuc est ingeniũ. Nam post-
 quam annis iam quasi diriguit animus,
 partim ægrè, quorũ praua consuetudine
 fuimus infecti, dediscimus: partim, quæ
 nescimus, nõ nisi maxima nobis inculca-
 ri difficultate possunt. Quò elegãtissima
 metaphora hac respexisse uidetur Ouid.

Que præbet latus arbor spaciantibus umbras,

Quo posita est primum tempore, uirga fuit.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,

Nunc stat in immensum uiribus aucta suis.

Hęc perita rerum antiquitas cõsiderans,
 quæ, nihil non egit ut Republicæ opti-
 mè constitutæ in suo flore permanerent,

iuuen-

iuuentutem, seu seminarium totius hominum conuersationis, optimis quibusuis non tam artibus & disciplinis, quàm morum uitæque præceptis imbuendam curauit. Non ignara, & sine literis rudes inertesq; & cum literis parum utiles fore homines, nisi honestati uitæ quàm primum assuefierent. Plus enim deficere quàm proficere eum qui doctrina proficit, & moribus deficit, præter ueterum sapientum testimonia, quotidiana docet experientia. Non aut quæuis temerè, & citra delectum, teneris puerorum animis obrudi passa est: sed eos autores, qui & pietatem, & præcepta de morum uirtutibus continerent, proposuit. In quorum autorum numero, Poetæ, qui uel mira ingenij industria clarorum uirorum egregia facta in exemplum posteritati descripta reliquissent, uel quàm breuissimis, maximeq; illustribus sententijs doctrinam morum essent complexi, suo quodam iure facile primas obtinuerunt: unde & nomē illorum in maximo cultu, maximaq; ueneratione apud optimos quosuis extitisse non ignoramus. Plato, philosophiæ quidam sol, huiusmodi Poetas non du-

bitat nunc deorum filios, nunc prophetas appellare. Et tantum abest ut è Republica sua eiecerit (quod ijs fecisse legitur, qui diuina poetice arte ad lasciuiam, turpesq; amores abusi erant) ut & ipse testimonijs eorum usus, & alijs exemplo suo præclarissima ipsorum monumeta euoluendi autor fuerit. Sicut eius rei locuples testis est honestissima creberrimaq; apud ipsum Solonis, Tyrtaei, Homeri, Hesiodi, & aliorum melioris notæ mentio. Socratem, qui ipsius Apollinis oraculo sapiens pronuntiatus est, Euripide Tragico familiarissimè usum esse, nemo nescit. *μυσὸν θ' Ἰσπανοῦται, καὶ αὐτῶν ἀροῦνται,* ab Hesiodo & Pindaro nūcupantur. Strabo autem lib. 1 de Situ orbis scriptū reliquit, ueteres *τὴν πρώτην ποιητικὴν*, ut omnium doctrinarū antiquissimam, philosophiam quandam perhibuisse. Quippe quæ à teneris nos unguiculis ad uiuendi rationes perducatur, mores atque affectus edoceat, quæq; gerenda, declinanda uel sint, quadam cantus suauitate præcipiat. Et quo magis suâ erga huiusmodi *ἠθικὸν ποικίλιν* gratitudinem testatam redderēt, iuuenesq; ad bonarum rerum studia, morumq;

rumq; integritatem excitarent: statuis ac imaginibus eos honestari, poemata ipsorum in publicis Deorum celebritatibus, alijsq; conuentibus recitari, optimasq; sententias templorum foribus, tanquam Deo dignas, imò ab ipsis Numinibus usurpatas, affigi, nec nò aureis preciosisq; materijs inculptas ad omnem posteritatem conseruari curauerunt. Quemadmodum ex Platone, Xenophonte, Pausania, Plutarcho, Athenæo, alijsq; uetustissimis scriptorib. & iam dicta, & alia plura, de Poetarum excellentia & utilitate cuius obuia sunt: nec patitur epistolę angustia huc omnia referre. Etsi uerò Christianę professionis homines, sincerę Religionis Pietatisq; studium nò ab huiusmodi autoribus, sed ex sacrosanctę Scripturę fontibus petere debēt & possunt, ut quę sola salutem & æternam beatitudinem per IESU CHRISTI, ueri Dei ueriq; hominis meritum credentibus paratam esse monstret, præceptaq; ad Christianam uitã utilia copiosissimè præscribat: tamen Poetarũ quoq; (qualium scripta iuuentuti proponimus, & ut ab alijs idē fiat omnib. uotis optam^o) lectionē &

usurpatam, & in non contemnendo precio habitam, habendamq; esse, grauiſſima ſanctiſſimorum in Eccleſia Dei uiro-
rum exempla & autoritates comprobât: quarum pauciſſimas, ob eos qui parum dextrè de illuſtribus Poetarum monu-
mentis ſentiunt, in mediũ proferre pla-
cuit. D. Paulum, electum illud Dei om-
nipotētis organũ, Poetarũ libros euol-
uiſſe, & ut etiã Clemens ait, ad ædifica-
tionem curamq; aliorum, testimonijs
eorum uti non erubiſſe, Sacrarum lite-
rarum ueritas teſtatur. Sic enim Act. 17.
ubi Deum eſſe probat, Aratum uetuiſti-
ſimum poetam citat. 1 Cor. 15. ex Menan-
dro Comico malorum conſortia fugien-
da monet, quòd prauis colloquijs boni
mores corrumpantur: quod testimoni-
um in Comicis noſtris nõ eſt omiſſum.
Cretenſium mores, Tit. 1. ex Epimenide
uate Cretenſi graphicè depingēs ait: κρη-
τις αει ψευδαι, κακα θηρια, γαστρις αργαι. Gre-
gorius Nazianzenus, ob excellentiam
Theologus dictus, ſcriptis Poetarum mi-
rè delectatus eſt: & ſacrorum carminum
uolumen poſteritati reliquit, quod non
ſolũm priſcis temporibus propoſitum
eſt

DEDICATORIA. ¶

est pueris (ut Socrates, Sozomenus, Orofius & Eutropius scribunt) uerum etiam hodie à doctissimis uiris in delicijs habetur & excolitur. Quid de Iohanne Chrysolostomo, patriarcha Constantinopolitano sub Arcadio & Honorio Impp. anno Chritti 401. dicam, qui Aristophanis Comedijs etiam noctu pro puluino usus est? Quid de Eustathio Thessalonicense, cuius etiam hodie eruditissimi in Homerum, ingeniorum fontem, commentarij extant? Neque mihi hoc loco temperare queo, quo minus etiam D. Basilij Cæsariensis, cui uirtutum splendor Magni cognomen peperit, uerba adscribam, de seorum Poetarum lectione, qui bonorum hominum dicta facta ue narrassent: quales præ cæteris fuerunt, Homerus, Hesiod⁹, Theognis, Phocylides, Pythagoras, Solon, Tyrtæus, & alij. Sic ergo in Admonitione ad adolescentes, quo pacto ex gentilium scriptis proficere queant, ait: ἐπὶ τούτου παρασησὺν καὶ ποιηταῖς, καὶ λογοποιῶσι, καὶ ῥήτορσι, καὶ πᾶσι ἀνθρώποις ἐμιμνήσκου, ὅθεν αὐτὸ μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφίλειά τις ἐσιᾶσαι. καὶ μετ' ὀλίγου. εἰ μὲν οὖν ἐστὶ τις οἰκειότης πρὸς ἀλλήλους

τοῖς λόγοις, πρὸς γοῦν αὐτῶν ἢ γνῶσις γέ-
 νοιτο. εἴ ἢ μὴ, ἀλλὰ τό γε παρὰ ληλα θούτας, κα-
 ταμαθῆν τὸ διάφορον οὐ μικρὸν εἰς βιβλίωσι τῶ
 βελτίονος. Hoc est: Poetis & oratoribus, om-
 nib. hominib. utendū, unde futura sit
 aliqua utilitas, quæ ad animæ faciat ædi-
 ficationē. Et paulo pòst: Et si nostrorū
 sermonū atq; gentilium ulla est conueni-
 entia, nobis illorum ualde conferet noti-
 cia: sin minus, eos saltem simul confere-
 do, differētiā discere licebit, cum ad me-
 lioris optionem atq; delectum non parū
 comparatio ualeat, & inferiora sæpe col-
 lata sint potioribus ornamento. Nec ab
 his dissentit Philo sapiētissimus, dum li-
 bro de Agricultura, de puerorum studijs
 in hunc modum differit: εὐτυβω ἢ γαῖς μὲν
 οὐ ἡλικίας παιδικῆ ψυχῆς μαχόμενα, ὡμὸν καρ-
 πὸς αὐτὸς τιθιμύσονται. ἐστὶ δὲ ταῦτα, ἢ τῶ γραφικῆ
 καὶ ἀναγνώσκειν ἑσθλοχὸς ἐπιτήδευσαι, ἢ τῶν πα-
 ρὰ σοφοῖς ποιηταῖς ἀκριβῆς ὄψουσα, γεωμετρία,
 καὶ ἢ περὶ τῆς ῥητορικῆς λόγος μελέτη, καὶ ἢ σύν-
 πασα τῆς ἰγκυκλίου παιδείας μουσική. Quæ uer-
 ba Latinis auribus sic sonāt: Inseram au-
 tem primū in puerilis ætatis animas,
 surculos, quorum fructus ipsas enutriat.
 Sunt autem hi, scribendi legendiq; certa
 indu-

industria, eorum quæ apud sapientes poetæ habentur diligens scrutatio, geometria, oratoriæ facultatis meditatio, & uersa liberalis musica. Atque hæc quidem de Poetarum autoritate & lectione paucis attingisse, non planè *ἡκὸς τῶν ἐλευθέρων*, iufficiat. Haud enim parem humeris susciperem prouinciam, si ex singulis Christianis scriptoribus (ut de gentiliū myriadibus taceam) Poetarum & laudes colligere, & osorum calumnijs occurrere conarer. Ego itaq; tantorum uirorum iudicio & consilio incitatus, iuuentuti, cuius informandæ mihi quoq; curâ scis incumbere, hac in parte, quod ad optimorū Poetarum studium attinget, labore quidē duro, animo uerò non ægrio consulere studeo: cum hanc meam esse Spartam non ignorem. Mirificè enim peritæ rerum antiquitatis, quæ, ut Plato uult, *κρείττων ἀμαθία ἐγγυτέρω θανάτῳ ἐγούετο*, exemplum sequi, & quantum par est, alijs ad idem faciendum autor esse placet. Hac de causa, cum labores nostros, quos in Comicoꝝ L. scriptis ab interitu uindicandis exhausimus, meliorū literarum studiosis non ingratos animaduertarem: facile, nūquam
satis

satis laudati uiri D. Ioānis Oporini, cō-
 patris ac amici mei obseruandis, cōsilio
 acquieui, qui me, ut horum quoq; poeta-
 rum, quos hic damus, scripta collecta iu-
 uentutis studijs communicarem, incita-
 uit. Theognide ergo *γυμνωτάτω*, cum
 uersione & doctissimis ELIAE VINETI
 Annotationibus, ex arbitrio D. Typogra-
 phi, praemisso, reliquorū Poetarū omniū
 scripta ex diuersis hinc inde autoribus
 congregauimus, congesta fideliter interpre-
 tati sumus, & ad puerorū captum quā
 proximè accommodauimus. Nec iue-
 nibus in genijs inutilem hanc nostram
 operam fore speramus. Castissima enim
 saluberrimaq; de moribus pręcepta pro-
 ponit, quæ usum non poenitendum in o-
 mnes uitæ huius partes, si rectè percipiā-
 tur, sint allatura. Præterea Græcæ lingue
 (quæ comprissima est in his autoribus)
 cum Latina collatio, non parum emolu-
 menti ad uberiores eruditionis thesau-
 rū comparādum adferet: ijs præsertim,
 qui aliàs uiua magistri uoce destituti, ipsi
 sibi præceptores esse in Græca literatura
 coguntur. ut plures commoditates, quas
 præter iuniores etiam adulti hinc hauri-
 re pos-

re possunt, sciens præteream. Non parum tamen doctissima Stobæi interpretatio, unde non paucas sententias transcripsimus, nos iuuit. Versionem Latino carmine, sui cuiq; interpretis nomine præfixo, ne alienis nos ornare plumis uideremur, subiecimus, ut Græcæ elegantia cum Latina melius perspiceretur conuenientia, ab ijs qui iam abiq; cortice in Græco studio natare queunt. Nōdum carmine redita, pro nostra tenuitate pedibus astrinximus, ita ut quàm proximè Græca sententia exprimeretur. Alicubi lectionis uarietas margini est aspersa. His omnibus eiusdem, si non carminis, tamen argumēti libellus Senariorū insertus est, ut quàm absolutissimam de moribus, totaq; uita laudabiliter instituenda doctrinam, optimorum hoc Poetarum Opus teneris puerorum animis proponeret. Et hæc quidē omnia nunc secunda hac editione magis exornata & emendata.

Ne uerò, charissime *τοδοσε*, mireris cut sub huius nostri laboris initium mentionem tui fieri uoluerim, breuiter causæ iustæ sunt exponēde. Cum in priore editione dedicatio parum feliciter celsisset,
(distan-

(distantia'ne loci, an temporis intervallo contigerit, ut ex eorum animo effluerim, quibus pro benevolentia dudū exhibita gratificari vicissim conabar, incertū est) viri quidam doctissimi & præceptores optimè meriti autores erant, ut in altera editione his meis, qualescunq; sunt, Iucubrationculis alium quendam patronum eligerem & præficerem. Nemo igitur, hoc quidem tempore, mihi sese obtulit, quàm tu IO DO CE optime, cui gratius futurum hoc Poetarum opus confiderem. Nam primū verè tibi testis esse possum, te, ex quo meæ disciplinæ & domesticæ cōsuetudini fuisti cōmissus, mei semper & amantissimum & studiosissimum extitisse: ab instituentis, præcipientis, monentisq; ore attentè pependisse: & in summa, nihil quod fidelis discipuli erga præceptorem suum est, abs te alienū putavisse. Quæ res fecit, ut supra modum animus meus amore tui fuerit incensus: præsertim cum animadverterem te hanc laudem cum paucis hodie discipulis (quæ peruersitas est hominum nostro seculo deplorata) communem habere. Huc accedebat diligentia, qua tantos qui-

quidem non inuita Minerua progressus fecisti me præceptore, ut non sine laude & maximi fructus spe ad grauiora studia & publicas lectiones aditus tibi sit concessus. Et nunc quidem optimas in liberalibus disciplinis procedendi occasiones habes: non desunt præceptores, & fidelitate & eruditione præstantissimi: & quod ego maximi facio, exemplum domi habes omnium uirtutum & morum integritatis, grauisimum uirum tuum auunculū, meum amicum, D. IOANNEM VITVM SCHEIB, Iuris utriusq; Doctorē excellētissimū. Huic nihil gratius, nihil optabilius, nihil etiam iucundius esse sat scio, quàm si te optimarum artiū sciētia excultū, nec nō honestate uitę, morumq; probitate exornatū uiderit. In te enim uenerandę suę senectutis unicam subsidij spem positam habet, te ut animā suā paterno amore prosequitur: & quod singulare Dei donum est, ita quæ tua sunt curat, ut parentum præsentia quidē, non autem fide, cura & amore priuatus meritò uidearis.

Age igitur Iodoce suauissime, perge ut cœpisti in cursu honestatis perũtere: stu-
de

de quantum potes, expectationi tanti viri tuorumq; amicorum satisfacere : fuge quæ quocūq; modo honestati labem afferre possent: amore sincero tuos præceptores observa. Et ne plura, lege, quæ optimi hi autores (quos ideo tibi nunc dicandos esse cēnsui) & gravissimè & doctissimè scripserunt: tum (inuocato prius ad omnia diuino Numine, pro successu felici) & hæc, & reliqua quæ ad officium honesti adolescentis requiruntur, assequeris. Accipe etiam hoc qualecunq; animi mei apud te *μνημόσυλον*, sincero animo: & ut cœpisti, me amare non desine. Vale, cū domino auunculo tuo ornatissimo. Dataræ Basileæ, ex ludo nostrō ad D.

Petrum, Calend. Iulij,

1563.

IN-

te possunt, sciens præteream. Non parum tamen doctissima Stobæi interpretatio, unde non paucas sententias transcripsimus, nos iuuit. Versionem Latino carmine, sui cuiq; interpretis nomine præfixo, ne alienis nos ornare plumis uideremur, subiecitimus, ut Græcæ elegantiaæ cum Latina melius perspiceretur conuenientia, ab ijs qui iam absq; cortice in Græco studio natare queunt. Nōdum carmine redita, pro nostra tenuitate pedibus astrinximus, ita ut quàm proximè Græca sententia exprimeretur. Alicubi lectionis uarietas margini est asperia. His omnibus eiusdem, si non carminis, tamen argumēti libellus Senariorū insertus est, ut quàm absolutissimam de moribus, totaq; uita laudabiliter instituenda doctrinam, optimorum hoc Poetarum Opus teneris puerorum animis proponeret. Et hæc quid ē omnia nunc secunda hac editione magis exornata & emendata.

Ne uerò, charissime IODOCE, miteris cur sub huius nostri laboris initium mentionem tui fieri uoluerim, breuiter causas iustæ sunt exponēde. Cum in priore editione dedicatio parum feliciter cessisset,

b

(distan-

(distantia'ne loci, an temporis interuallo contigerit, ut ex eorum animo effluerim, quibus pro beneuolentia dudum exhibita gratificari uicissim conabar, incertum est) uiri quidam doctissimi & præceptores optimè meriti autores erant, ut in altera editione his meis, qualescunq; sunt, lucubratiunculis alium quendam patronum eligerem & præficerem. Nemo igitur, hoc quidem tempore, mihi sese obtulit, quàm tu IODOCE optime, cui gratius futurum hoc Poetarum opus confide-rem. Nam primum uerè tibi testis esse possum, te, ex quo meæ disciplinæ & domesticæ cōsuetudini fuisti cōmissus, mei semper & amantissimum & studiosissimum extitisse: ab instituentis, præcipientis monentisq; ore attentè pependisse: & in summa, nihil quod fidelis discipuli erga præceptorem suum est, abs te alienū putauisse. Quæ res fecit, ut supra modum animus meus amore tui fuerit in-ens: præsertim cum animaduertērem te hanc laudem cum paucis hodie discipulis (quæ peruersitas est hominum nostro seculo declarata) communem habere. Huc accedebat diligentia, qua tantos qui-

quidem non inuita Minerua progressus fecisti me præceptore, ut non sine laude & maximi fructus spe ad grauiora studia & publicas lectiones aditus tibi sit concessus. Et nunc quidem optimas in liberalibus disciplinis procedendi occasiones habes: non desunt præceptores & fidelitate & eruditione præstantissimi: & quod ego maximi facio, exemplum domi habes omnium uirtutum & morum integritatis, grauisimum uirum tuum auunculū, meum amicum, D. IOANNEM VITVM SCHEIB, Iuris utriusq; Doctorē excellētissimū. Huic nihil gratius, nihil optabilius, nihil etiam iucundius esse sat scio, quàm si te optimarum artiū sciētia excultū, nec nō honestate uitę, morumq; probitate exornatū uiderit. In te enim uenerandę suę senectutis unicam subsidij spem positam habet, te ut animā suā paterno amore prosequitur: & quod singulare Dei donum est, ita quę tua sunt curat, ut parentum præsentia quidē, non autem fide, cura & amore priuatus meritò uidearis.

Age igitur Iodoce suauissime, perge ut cœpisti in cursu honestatis persistere: stu-

de quantum potes, expectationi tantū uir-
 ri tuorumq; amicorum satisfacere, fuge
 quæ quocūq; modo honestati labem af-
 ferre possent, amore sincero tuos præce-
 ptos observa. Et ne plura, lege, quæ o-
 ptimi hi autores (quos ideo tibi nunc di-
 candos esse censui) & grauissimè & do-
 ctissimè scripserunt: tum (inuocato prius
 ad omnia diuino Numine, pro successu
 felici) & hæc & reliqua, quæ ad officium
 honesti adolescentis requiruntur, assequê-
 ris. Accipe etiam hoc qualecunq; animi
 mei apud te *ἠνεμόσυνον*, sincero animo: &
 ut cœpisti, me amare non desine. Vale, cū
 domino auunculo tuo ornatissimo. Da-
 tæ Basileæ, ex ludo nostro ad D.

Petrum, Calend. Iulij,

1563.

HIE-

HIERONYMVS OSIVS
candido Lectori S.

Cum præter alios autores Græcos, & Theognidis sententijs enarrarẽ adolescentibus, qui me priuato præceptore utantur, et horũ aliquos ad artẽ Poeticam præcliuos, ac idoneos esse, uena ipsorum ostenderet: ut ad exercitia Poetica meo eos exemplo eò magis incitarẽ, Theognidis, aliorumq; Græca Poemata Latino carmine ita quidẽ uerti, ut & uerba & sententijs autorũ, quantũ omnino fieri potuit, disertè & perspicuè expresserim: ut nõ dubitẽ candidũ ac eruditũ lectorẽ fassurũ esse, meã uersionẽ uel cõmẽtarij loco in hos scriptores esse posse.

Quanto uerò labore opus fuerit antè, quàm hoc prestare potuerim, & propter obscuritatẽ sententiarũ, & confusancã earundẽ sarraginem uerũ sensum assequi, ac perspicuè reddere: lectores peritos artis Poeticæ, ac candore & iudicio præditos, iudices facio. Adeò autem suauis, ac plenas doctrinæ sententijs Theognis, Pythagoras, Phocylides, & reliqui tradiderũt, ut de eis iure dici illud Horatij posse uideatur: *Omne tulit pũctũ, qui miscuit utile dulci.*

Hæc Poemata cum ego, quo potui, Dei beneficio, carmine perspicuè reddiderim: spero hunc meũ laborem adolescentibus literariũ studiosis gratam ac utilem fore. Vale candido Lector, & meas hæc lucubratiunculas qualescunq; boni consule.

ELIAS VINETVS SAN-
to, Lectori.



Ma ocyj plurimum anno superiore apud Franciscū Sangelasū Engulifmēsis Ecclesiæ Decanū, uirum cū generis splendore, tum ingenij dexterritate apprimè nobile, nactus fuifem: id totū, quantū per aduersam ualetudinē licuit, in iucūdiſſima Græcorū poetarū lectione à me cōtritum est. qua quidē in re cōſilium eorū lubens ſecutus ſum, qui antiquos ſcriptores eo legendos ordine cēſent, quo & uixerunt & ſcripſerūt: quòd recentiores à uetustiorib. ſemper habeāt quidpiā, quod non facilè intelligas, niſi prius illos diligenter legeris. Perlectis igitur, quorū fuit copia, uetustissimis quibusq;, cuiusmodi ſunt Homerus & Heſiodus, Theognidē tandē in manus ſumpſi: cuius ſentētias licet graues eſſe nō dubitarē, eo tamē intellectu mihi faciles fore ſperabā, quòd credere nihil eſſe illic quod à poſterioribus, quos aliquando legerā, nō fuiſſet luculētius tractatum. Verūm uix dum è portu ſoluerā, cum tot ſubitò emergunt ſcopuli, tot ſtatim obortæ nubes, cæluq; diēq; eripiunt oculis, ut à propoſito facilè his deterritus fuiſem, niſi cupido huius cōficiēdi æquoris me placè obſtinata iam inde cepiſſet, ex quo primūm à præceptorib. meis Ariſtotelis aliorūq; ueterū ſcripta prælegi mihi cœpta fuerāt, quę huius poetę ſentētijſ ueluti ſuauiſſimis floſculis inſperſa eſſent.

Cū igitur pergere obfirmato proſus animo certū eſſet, quę ad tā difficilē periculoſamq; ré cōficiendā cōducere uifa ſunt, ea diligēter omnia adhibui,

bui, cuiusmodi sunt cum uariorū codicū, locorūq; ex eodē autore ab alijs scriptorib. citatorū diligēs collatio: tum syncerū & acce amicorū meorū, uirorū doctorū, unā cum meo, iudiciū: inter quos Petrus Panætius, & Iacobus Gupylus, facile principes. qua quidē diligētia abscisis, abiectis, trāspolitis multis, effectū tandē est, ut instituto satis fecerim meo, perlegerim bonū poetā, eorumq; quæ in eo corrupta erāt, bonā magnāq; partē obiter castigauerim. Ceterū cū in eo totus essem, Ioan. Lodoico Tiletano, typographo diligētissimo, rē patefeci, cum in eius bibliopoliō, querēdi ex eo exemplaris gratia aliquādo me cōtulisset: quā ubi intellexisset, rogauit uehementer, ut si quid haberē in eum autorē, quē esset breui excusurus, cōmunicarē. me sibi, studio sisq; omnib. gratum facturum. Id autē perfacilē impetrauit ille, quādo ineunte hac ætate huc ueni, cādide lector: cui in tuā gratiā publicādum tradidi, quicquid fuit nostri in Theognidē laboris. quē autorem utinā tā totum restituere omnino potuissem, quā cupiebā. Is enim tam deprauatus fuit, tā lacer, tam mācus, ut nulla diligentia, nullo labore, nullis deniq; quantislibet uigilijs id præstare potuerim. quæ res in causa est, ut in Latinum sermonem à me conuersum non habueris. Quod reliquum igitur hic desiderabitur, id ab alio interim dum fœlicius expectabis, nostro hoc labore, quantuluscuq; est, fruaris, eumq; boni cōsulas uelim. Vale, Lutetiæ, Calendas

Sextil. 1543.

• • • • •

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

γηράσχωρ δ' ἀσπίσι μεταπέπει, ἠδὲ τις αὐτῶν
 49 βλάπῃεν, ἔτ' αἰδέσθ, ἔτε δίνης ἐβέλει·
 πάντες δ' ἐν θώκοισι ὁμοῦς νεοί, εἴ γε λιγὲρ αὐτῶν
 εἴησ' ἐκ χύρης, οἵ τε παλαιότεροι.
 ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἀκρον ἰκέσθαι
 παρὰ δ' ὠ, θυμῶν μὴ μεθείης πολέμου.

τῷ αὐτῷ, ἢ Καλλίνῳ.

- 49 μέγιστος ἱατὰ κέσθαι, ἵστ' ἀλκίμοι ἔξετε θυμῶν,
 ὠ νέοι: ἠδ' αἰδέσθ' ἀμφιπέριπύονας
 ἴδμε λίω μεθιόντες, ἐν εἰρήνῃ ἢ δουεῖται
 ἠδ' ἄσθαι, ἀσπὶ πόλεμος γαῖαν ἀπασαν ἔχει.
 οὐδ' ἄν τις ἀσπίδα βέσθαι ἐναντιήϊος πολέμιζον.
50. ἱαί τις ἀποθνήσκωρ ὕστατ' ἀκρυτιστατω.
 τιμῆσ' τε γάρ εἰσι ἱαὶ ἀγλαῶν ἀνδρῶν μάχεσθαι·
 γῆσ' ἔπει, ἱαὶ παίδων, ἱερδίνης τ' αἰλόχου
 δινυμονέσθαι. θαυμάζεις δέ ποτ' ἔσεται, ὅσποτέ τις δὴ
 μοῖρα ἐπιηλώσῃ· ἀλλ' ἄτις ἰδύς ἴτω,
- 51 ὄγχεσ' ἀναχόμενος, ἱαὶ ὑπ' ἀσπίδος ἀλκίμοι ἔτορ
 ἔλσας τὸ πρῶτον μιγυυμένον πολέμου.
 ἠ γάρ πωσ' θαυμάσιον γε φυγῆν εἰμαρμένον ἐστὶν
 ἀνδρῶν, ἠδ' εἰ προγόνων ἢ γένος ἀθανάτων
 πολλὰ κί δηϊοτῦτα φυγῶν ἱαὶ δῖπεν ἀκόντων.
- 52 ἔρχεται, οὐδ' εἰ κ' ἱαὶ μοῖρα ἱαὶ χυρὸν θανάτου.
 ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ ἱαὶ παρὸς δῖμω φίλος, ἠδ' ἢ παθεῖν ὄσθ'
 πόνδ' ὀλίγος πρὸς ἄχαι, ἱαὶ μύγας, ἱαὶ τι πᾶσθαι.

Senescens autem inter ciues præcellit, neq; quis illum
 Ledere, nec irreuerenter nec iniuste cupit.
 Omnesq; in sedibus iuuenes simul & æquales
 Loco cedunt ei, quiq; maiores nati sunt.
 Huius igitur uirtutis ad summum peruenire, nunc aliquis
 Nitatur animo, non remittens bellum.

Eiusdem: aliàs Callini.

Quamdiu torpetis? quando strenuam habebitis animam
 O iuuenes? an non ueremini uicinos,
 Ob tantam ignauiam? In pace autem uobis uidemini
 Sedere: sed bellum totam regionem infestat.
 Quin scutum aliquis arte in prælio hosti obtendat;
 Et aliquis moriens ultimo iaculum emittat.
 Honori enim est & ornamento uiro, pugnare
 Pro patria & liberis & tenera uxore
 Aduersus hostes. Mors autem aderit, quando cunq;
 Parcæ destinauerint. Sed age quispiam rectè pergat
 Extenso in altum gladio, & sub scuto forte pectus
 Foueat, cum primum incipit committi pugna.
 Non enim mortem effugere fatale est
 Virum, neq; si à maioribus immortalibus genus ducat:
 Sæpe quis elapsus è pugna, sonituq; telorum
 Euadit, sed ipsum domi fatalis mors apprehendit.
 Atq; hic sanè nec amicus est populo, nec gratus:
 Illū uerò magnus et paruus deflens si quid passus fuerit.

Vniuersus

λαῶ γὰρ ξύμπαντι πόθος ἱρατὸ βρόχονος ἀνδρῶν
 θνήσκοντες, ζῶων δ' ἄξιος ἡμιθέων.

65 οἴσασθ' γὰρ μιν πύργου σὺν ὀφθαλμοῖσιν ὄρωσιν,
 ἔρδαι γὰρ πολλῶν ἄξια μοῦνος ἐὼν.

τὸ αὐτῷ.

ἀλλ' Ἡρακλῆος γὰρ ἀνίκητον γένος ἐστὶ,
 θαρσύνει, ὅπως οὖν ἀνχόνα λοξὸν ἔχει.
 μηδ' ἀνδρῶν πληθύνει δειμαίνετε, μηδ' φοβέσθε,

70 ἰθὺς δ' εἰς προμάχους ἀσπίδι ἀνὴρ ἔχεται,
 ὄχθρα μὲν ψυχῆν θέμονος, θανάτου δ' μελαίνου
 αὐγαῖσιν ἡἷρας ἡελίοιο φιλας.

ἔστε γὰρ ὡς ἄρεως πολυδικηρῦτα ἔργ' ἀείδηλα,
 σὺ δ' ὄργην ἐδάητ' ἀγαλέων πολέμου.

75 καὶ μετὰ φρογόντων τε δειωκόντων τ' ἐγόνεσθε,
 ἢ νῆσι, ἀμφοτέρων δ' εἰς λόρον ἡλάσατε.
 οἱ μὲν γὰρ τολμῶσι παρ' ἀλλήλοισι μόνοντες,
 εἰς τ' αὐτοχεδίην καὶ προμάχους ἰσῆαι,
 παυρότεροι θνήσκουσι, σάουσι δ' λαὸν ὀπίσσω,

80 τρεῖς ἀντὶ τῶν δ' ἀνδρῶν πᾶσι ἀπόλωλ' ἀρετή.
 οὐδ' εἰς δ' αὖ ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειν ἐκχθα,
 ὅσ' αὖ κίχρα πάθη, γίγνεται ἀνδρῶν ἱκανῶν.
 ἀγαλέων γὰρ ὅπια μετὰ φρονόμ' ἐστὶ διαΐζειν
 ἀνδρῶν φρογόντων Δηίῳ σὺν πολέμῳ.

85 κίχρα δ' ἐστὶ νέκυς κατακείμενος σὺν ἰονίῃσι
 νῆατον ὅπια κίχρα δ' ἀνδρῶν ἐληλαμένους.

Vniuersus enim populus uirum fortem desiderat
 Defunctum, uiuentem uerò instar semidei colit!
 Nam coràm intuentur illum uelut turrim:
 Quippe solus multorum æquat facinora.

Eiusdem.

Veruntamen Herculis genus inuictum estis:
 Confidite, nondum Iouis facies auersa est à nobis.
 Nec hominum turbam formidētis, aut metuatis,
 Quin rectà quisq; hostibus scutum obuertat
 Inuisam amissurus animam, mortisq; nigrum,
 Sed solis splendori gratum subiturus fatum.
 Nostis enim quàm grauia sint Martis luctuosi operā,
 Nostis etiam impetum permolesti belli.
 Et quandoq; fugistis ipsi, quandoq; alios fugastis,
 Iuuenes, utrunq; satis experti estis.
 Nam ex illis qui audent unà persistentes
 Cominus in hostes aduersos impetum facere,
 Perpauci occidunt, retroq; seruant populum:
 Timidorum autem uirorum omnis perit uirtus.
 Vix autem aliquis uerbis explicare possit,
 Quanta incurrat mala, uir qui se turpiter dederit,
 Ignominiosum namq; est tergum sauciare
 Viri fugientis in aduerso prælio.
 Turpe quoq; est cadauer in puluere prostratum,
 Atq; tergo hastæ cupide uulneratum,

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

*Ceu turrim ante oculos altam quem penè tuentur;
Nam, multi poterant quæ minus, unus obit.*

Alia Tyrtaei.

*Quæ nos esse probent genus Herculeum, edite vires.
Vobis ira Iouis nulla recusat opem.
Agrine stipatas ne formidate cateruas,
Dirigite in primos ærea scuta viros.
Temnite nunc animas, uitamq; efflare sub auræ;
Quas radij illustrant Sole micante, iuuet.
Martis opus dubio ferri lachrymabile casu
Nostis, et hunc pugnas quæ iubet ira sequi:
Sæpe fugam uisi dare, sæpe reducere palmam
Estis, utroq; labor nos saturasse potest.
Ergo manent casus cunctis qui uiribus omnes,
Et, quos primus habet comminus ordo, petunt:
Horum se plures seruant, patriosq; penates,
Fracta metu uirtus robur inane trahit.
Ac tantam uim nemo potest aperire malorum,
Cum foedo iungi quanta timore solent.
Triste coacta metu dare terga sequacibus armis,
Et grassante leuem Marte subire fugam.
Prostratum in faciem quàm uisu immane cadauer,
Cuius hiant multo uulnera dorsa, uiri?
Ergo pedem terris quis figat utrumq; manendc.
Mordicus infixis labraq; dente premat:*

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

Quisquis in arma ruens, nec sauo à Marte recedens;

Pro patria & natis fortiter occiderit.

Si uerò incolumis mortem uitarit acerbam,

Retuleritq; sua parta trophea manu,

Illum omnes pariter decorant iuuenesq; senesq;

Et bona percipiens plurima letus obit.

Affectus senio toti gratissimus urbi est,

Prorsus & hunc ipsum ledere quisq; cauet.

Turba senum iuuenumq; loci concedit honorem,

Nullus & equalis se equiparare uelit.

Ergo aliquis tantæ uirtutis tangere culmen

Conetur, toto pectore bella petens.

Eiusdem uel Callini.

O' iuuenes, quid uult sibi tanta ignauia? ubi nam

Sunt animi? num de finitimis rubor est

Segnittem ob uestram? securo pace potiri

Creditis, at bello patria tota tremuit.

Quilibet audacter mauortia surgat ad arma,

Atq; aliquis moriens ultima tela iuret.

Pro patria pulchram est natisq; & coniuge charâ

Pugnare, & ualida bella ciere manu.

Mors aderit, cum fata uolent iam quis mihi rectâ

Prodeat in pugnam, cum citò coepta fuit,

Tollens terribili gladium uirtute, tegensq;

Fortia pregrandi pectora sub clypeo?

Effugere haud ulli mortem conceditur, etsi

A superbi ortum duceret ipse suum.
 Sæpe quis à bello, telisq; reuersus, et hoste,
 Repperit in proprijs ædibus exitium:
 Nec tamen hic gratus populo est, nec amabilis ullis
 Illum autem deflet cum iuniore senex.
 Quippe sui desiderium post fata relinquit
 Fortis, at in uita est semudeo similis:
 Conspicitur siquidem ueluti fortissima turris:
 Nam quæ multi agerent, omnia solus agit.

Eiusdem.

Alcide sed enim genus insuperabile, forti
 Este animo nondum flexa Iouis facies.
 Vos ne turba uirum, densus ne terreat hostis:
 Omnis in aduersos obuia tela gerat.
 Inuisamq; adeo statuens abrumper e uitam,
 Præcipiti cursu malit abire semel.
 Nostis enim quàm sint horrenda prælia Martis,
 Nostis et armigeræ quanta sit ira deæ.
 Terga cecidistis partim, partimq; fugati
 Estis, et experti scitis utrunq; satis.
 Qui perstant simul, et primi certamina tenent.
 Audentes animo cominus arma sequi,
 Perpauci moriuntur, et à tergo agmina seruant.
 Ast hominis timidi gloria tota perit.
 Vix mala quis uerbis perstringere singula possit,
 Quæ uir, qui in bello turpia gessit, habet:

Nempe

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

*Dolor & calamitas. Si mihi tribuit fidem,
Se nullus ultro cruciet indulgens malis,
Animum tenaci nec dolore exerceat.*

Eiusdem.

*Homo cum sis, nihil asserere stabile.
Nec ubi uideris hominem, certa
Spacia etatis promitte. etenim
Muscæ uolucris res in morem
Inconstancia rotat humanas.*

Eiusdem.

Nec ullus expers criminis nec mortis est.

Eiusdem.

Vt arma fugias, fata non fugies tamen.

Eiusdem.

*De luce cassis cor memoriam non supra
Vnum tenebit, si cor habeamus, diem.*

FINIS.

**FRANCOFVRTI, EX OFFICINA
Ludouici Lucij, Anno Salutis hu-
manæ M. D. LXIII,
Mense Septembri.**

Bayrische
Staatsbibliothek
München